Rychtarski Andreas: Quaest. theol. de visione beatifica.

QVÆSTIO THEOLOGICA

De Visione Beatifica,

Publicè ad disputandum in Alma Academia Cracouiensi

PROPOSITA.

Ab Admodum Reuerendo Domino,

ANDREA RYCHTARSKI

Curato Czerniechouiensi. S. Th. Licentiato,

Pro solenni in Doctorem inauguratione.

Præsidente Magnifico & Adm̃. Rñdo Dño.

D. IACOBO VITELLIO

S. Th. Doct. eiusdemq; Facultatis Decano, Canonico Cracouieñ. Vniversitatis Vigilantissimo

RECTORE.

Anno Dñi. 1647. *Mense Decembr. Die Hora*

CRACOVIÆ,

In Officina Typographica Francisci Cæsarij.



Siccine, Te, abiecti recreat, Deus, orbita mundi?
Totus ut hoc solum intendereris opus.
Mî potiùs triplex intende Charis: Minor etsi
Attamen immundus, sum magè mundus ego.

M. F. L.
C. M.

SVMMO CÆLI, TERRÆQVE CONDITORI, ET CONSERVATORI, VNI IN TRIBVS SVPPOSITIS EXISTENTI DEO, REGI REGVM, ET DOMINO DOMINANTIVM. IN PATRIA AB ELECTIS FACIE AD FACIEM VIDENDO.

DE Visione Vultus Tui Sanctissimi Diuina Maiestas disceptatio à me proposita. Quam enim beatitudinem mirificè appetimus, eius dulci recordatione, pro hoc etiam statu mortali expleri non possumus. Et quidem eius inquirendæ hæc est felicitas, quod quantò frequentius per desideria quæritur, tantò difficilius ob infinitam dulcedinem concipitur. Namque si mens nostra ad intelligendas substantias separatas, habet se quasi oculus noctuæ ad Solis lumen, quid di-

eam de imbecillitate intellectuis nostri ad cognoscenda Mysteria Supremæ Beatitudinis? Quæ ita accessu difficilia sunt, vt lumine suo limpidissimo omnem potentiam limitatam transcendant, omnemque humani ingenij vim languere, & debilitari faciant. Nunquid verò semper circa speculum, & ænigma versabimur? Id verò nequaquàm, sed dum Te in Patriâ sicut es, videbimus, contemplabimur profundos arcanorum Tuorum recessus, vt minimus in domicilio Beatorum, omnibus mundi Doctoribus sapientior futurus sit. Fateor, magnum Theologum fuisse Eremi incolam Præcursorem Sanctum, nihilominùs tamen, minimus in Regno Cælorum maior illo Victore erat. Phænix Apostolici Senatus Diuus Paulus, quàm magnus Doctor Theologus? hic quo Professore didicit altissima fidei nostræ arcana? non ille nomen dederat Scholæ Tuæ Magister cælestis, non etiam recubuit in sinu Tuo, nec etiam linguam ignitam Paracleto descendente excepit. Cælestis Academia Apostolum licet aduenam & viatorem in tantum promouit Doctorem, vt ab illa redux factus, dicat se audiuisse arcana, quæ non licet homini loqui. Quod cùm ita sit, omnes Vniuersitatum Doctores, tum primum è tenebris ad verum lumen euocabuntur, cùm Augustissimum naturæ Tuæ Mysterium, ab oculis nostris reconditum, clarè intuebuntur, cùm omnes species, quidditates rerum, earumque causas & principia videbunt, cùm omnia particularia ad statum suum pertinentia intelligent, tum illis ostendetur omne bonum, seu (si Metaphysicâ conuersione vti voluerimus,) omne Ens, & consequentèr, omne Verum. Quare, modò conuenit etiam Sapientissimis Doctoribus, verum laboriosis discursibus quærere, obscuras quæstiones proponere, ex ijsque Conclusiones formare, decidere: In Patria autem, donandi Aureolâ, mutabunt fortitudinem, assument pennas vt Aquilæ, irretortisq; oculis Te Solem increatum intuebuntur. Quare vt hac Beatitudine mortalis homo post Laureas temporaneas, laureolâ in visione Tua cælesti exornetur, qui permagnò supremum illum finem æstimat, vt post emensum mortalis vitæ stadium, præmio illo perfruatur, suppliciter à Te, qui es gloriosus in sæcula, humilibus exposcit votis.

QVÆ-

QVÆSTIO

De Viſione Beatifica.

VTria Principia viſionis Beatificæ, Intellectus, Lumen gloriæ, & Deus, rectè aſsignantur, ita vt iis poſitis, intellectus Beatorum, clarè Deum, in illoq́ue tanquam in cauſa, eminentèr omne Ens continente, creaturas non tantum poſsibiles, ſed etiam actuales videat, necne?

CONCLVSIO I.

Potentia Intellectiua Beati eleuatur ad videndam DEI eſſentiam, concurritq́; effectiuè ad viſionem beatificam.

COROLLARIA.

I. Error eſt in fide aſſerentium DEVM *ab intellectu noſtro non poſſe videri.*

II.

Intellectus creatus tàm Angelicus, quàm humanus, non potest propriis viribus elicere actum visionis beatificæ, seu videre Deum, vt est in se.

III.

Nulla creatura Intellectualis potest à Deo creari tàm perfecta, cui sit connaturalis visio Dei.

IV.

A nullo intellectu creato potest Deus comprehendi, seù ita cognosci, vt cognoscibilis est.

V.

Nullus sensus eleuari potest ad cognoscendum Deum.

CONCLVSIO II.

Ad videndum intuitiuè Deum, secundùm potentiam ordinariam, necessarium est lumen gloriæ.

COROLLARIA.

I. Lumen gloriæ est donum supernaturale, habituale confortans & eleuans Intellectum beatum iuuando il-

lum

lum tanquàm principium actiuum immediatè concurrens ad visionem Dei. II.

Lumen gloriæ non est species impressa, ita vt nullum munus aliud habeat, quàm obiectum vnire potentiæ in agendo, tanquàm illius similitudo.

III.

Etsi de potentia ordinaria intellectus per lumen gloriæ eleuetur ad visionem Dei, non tamen est negandum, quin Deus per absolutam suam potentiam supplere possit habitum luminis gloriæ peculiari aliquo suo concursu supernaturali.

IV.

Non est æqualis in omnibus Beatis visio Dei intuitiua, sed in quibusdam est perfectior, quàm in aliis.

V.

Inæqualitas visionum beatificarum non oritur ex inæqualitate potentiarum intellectiuarum, sed ex inæqualitate luminis gloriæ.

CONCLVSIO III.

DEVS concurrit ad eliciendam visionem beatificam tanquàm principiũ illius.

COROLLARIA.

I. Implicat contradictionem, Deum videri intuitiuè, per aliquam speciem creatam obiectiuam in Qua.

II.

Beati non vident Deum per aliquā speciem impressam, sed Diuina essentia ad visionem beatificā concurrit per se immediatè, vt res visa & ratio videndi, praestans munus speciei intelligibilis.

III.

Diuina essentia videtur à Beatis per speciem expressam, seu per verbum mentis in intellectu formatū.

IV.

De facto videntes Beati Deum, vident explicitè Diuinas personas ac relationes quibus distinguuntur, vident etiam ea omnia attributa Diuina, quae in via per fidem cognoscuntur aut ex effectibus naturalibus, vel supernaturalibus.

V.

Non omnia quae in Deo sunt formalitèr, videntur à Beatis formalitèr, referendo hoc posterius

forma-

formaliter ad verbum, videntur, *seu ad actum visionis, non ad obiectum.*

CONCLVSIO IV.

Creaturæ videntur in verbo ex vi visionis Dei, ita vt ratio cognoscendi creaturas sit Diuina essentia, & concurrat ad eas videdas tanquàm medium cognitũ Quo, eò quod formalitèr cognitum sit.

COROLLARIA.

I. Beati vident in verbo creaturas non tantùm possibiles, sed etiam actuales existentes in aliqua differentia temporis, scilicet, præteritas, præsentes, & futuras.

II.

Beati vident creaturas in verbo, seu in Deo, tanquam in causa eminentèr omne ens continente: possibiles quidem in solâ omnipotentia formaliter. actuales autem, partim in omnipotentiâ, partim in voluntate. in illa secundùm esse physicum, in hac secundùm esse morale.

III.

Omnes collectiuè creaturas possibiles videri in verbo à Beatis distinctè, & in particulari, implicat.

IV.

Non potest à Beatis Deus videri cum suis attributis, quin ab eis uideantur omnes creaturæ sub communissimo & confusissimo conceptu entis creabilis seu possibilis, & non implicantis contradictionem.

V.

Beati aliquas creaturas uident extra Verbum per reuelationes particulares, & cognitiones à uisione Dei realitèr distinctas, quæ visio solet etiàm dici in Verbo non formaliter, sed causaliter, scilicet, non vi visionis Verbi, sed vi status beatifici, ratione cuius, cuilibet Beato debetur, vt ei Deus reuelet ea omnia quæ ad ipsum pertinent.

Quod

Quod DEvs præparauit diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non apprehenditur, desideria & vota transgreditur; acquiri potest, æstimari non potest. *S. August. lib. 24. de Ciuit. Dei.*



Sub Felicibus Auſpiciis,

Magnifici & Admodum Rñdi. Dñi.

IACOBI VITELLII

Canonici Eccleſiæ Cathedr. Crac: S.T.D. eiuſq́; Facult. Decani, Vniuerſit. vigilantiſſimi

RECTORIS.